



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Decimus Tertius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

Cœlum adscripsit, *vir justus*, id est ut sensu D. Hieron. progrediar: *Inconcussus, & semper vir unus* in I. Reg. Cap. I. 3. Visus est manipulus D, Patriarchæ adorari quod & impletum est Gen. 41. 43. clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent. Hæc dignitas D. Nutritio debita, exprimitur illis verbis Evangelij: *Cum esset desponsata Mater ejus MARIA, Joseph.* Quis enim non adoret quem sic Deus extulit? *O miranda prorsus sublimitas, tua Joseph.* exclamat Gerson: Ser. de Nativi: *O dignitas incomparabilis, ut Mater Dei, Regina Cœli, Domina mundi, appellare te Dominum, non indignum putaverit: An idem & Christus fecit? fecit Certè. Erat enim subditus illis.* Lucæ 2. D. Virgini ut Matri, D. Josepho ut Patri. Nec plura ad dignitatem D. Nutritij exaggerandam, aut cultum ei debitum, persuadendum exigas, dicebat olim Philippi Macedonis Orator. Hoc unum sufficiat dixisse, filium te habuisse Alexandrum. Rectius id nos dixerimus & gloriosius de D. Josepho. Hoc unum sufficiat dixisse, Filium te habuisse Deum, ut proindè eximias laudes & cultum terrarum Cælorumque merearis. Trinitas hæc quædam terrarum admirabilis, & divinæ imitatrix est, JESUS, MARIA, JOSEPH: dividi à se non potest & secundum JESUM ac MARIAM D. JOSEPH, honorem Orbis sibi vendicat.



MODUS DECIMUS TERTIUS.

PLura Symbola, figuræ, Hieroglyphica assum-
E 3
mun-

mutur, quæ idem symbolisent, figurent, expriment: Ut si in Festo S. Casimiri Confessoris: M. D. Litt. Patroni, Vigilantiam D. Casimiri expressam velles per Leonem; de quo Isa. 21. & clamavit Leo, *super speculam Domini ego sto*: per Angelum; de quo Daniel 9. & ecce vigil & Sanctus, *descendit de Cælo imo Angelus*. Per virgam vigilantem de qua Jer. 1. *virgam vigilantem ego video*. Similiter si Dominica 2. post Pascha, pastorem bonum, exprimeres per Jacobum greges socii sui studiosissimè pascentem. Gen. 31. & per Davidem, pro gregibus, cum urso & Leone dimicantem 1. Reg. 17.

P R A X I S.

In die auspiciatissimo Nativitatis Domini
Nostri JESU CHRISTI.

VERBUM Caro factum est Iohan. 1.

Accessus & Propositio. Innumera planè hodie cælo terraque miracula contigere. Nam patuerunt sidera cōspecti in aere Angeli, visa in sole, Virginis cum infante imago, fons olei Romæ subito manavit, nullum tamen, majus hoc miraculo, miraculum factum est, quo **VERBUM CARO FACTUM EST**. Excedit id omnino omnem captum non solum eloquentiam: Ideoque, quia quale sit capere non possumus, in imagine & umbra figurarum sacræ scripturæ, illud contem-
plomur:

Con-

Confirmatio debet constare ex aliquot figuris ad VERBI Incarnationem relatis.

In primis igitur, miraculi hujus magnitudinem, quo, *Verbum Caro factum est*, repræsentare nobis potest Visio Moïsis Exod. 3. apparuitq; ei Dominus, in flamma ignis, de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. Nunquid non grande istud prodigium? Certe Moyses ipse ait, *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*. Magna omnino visio, sed visionis, quâ VERBUM CARO factum, videtur umbra. Quid ita? *rubum quem viderat Moyses incumbustum, agnoscimus tuam laudabilem Virginitatem S. Dei Genitrix*, canit Eccles. O quam non difficile est intellectu, negatum fuisse concursum igni, ad urendum, cum daretur ad lucendum? ô quam captu imperceptibile, Virginitatem cum maternitate esse conjunctâ? ignis ne noceret servis Dei non rarò ea potestate, qua in rubo etiam deinceps prohibitus. VIRGO & Mater simul.

Nec Primam similem visa est, nec habere sequentem,

Hinc D. Leo Ser. 2. De Nati. Non hic consideranda est parientis Conditio, sed nascentis arbitrium, *ut, scilicet haberet Matrem, qua esse castrum securitate, murus fortitudine, Clypeus defensione, Columna rectitudine, sponsa fide, amica dilectione, Mater fecunditate, VIRGO integritate* ait Hugo: de S. Victor. Ser. 34. opus divinæ potentia! ô prodigium naturæ ô plusquam rubum incombustum! Verbum carnem factum.

Ejusdem miraculi umbram, exprimit Columna dux Israelis. Nimirum, iterum solvuntur tenebræ, rursus uxor oritur, rursus Columna Israel. illuminatur, inquit D. Nazian. Ser. de Nati. Verùm tamē ut Columna Israelis non semper ignem sparsit, sed ductus est, ille populus. Exod. 13. *Per diem, in Columna nubis, & per noctem in Columna ignis.* ut Dux esset in utroq; tempore: ita Verbum CARO DEUS homo Salvator noster, *Lux qua illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum:* Joan. 16. Nube tegitur, imo columna nubis est, defendens nos suscepta Carne ab æstu temporali. Vitiatorum; & æterno, suppliciorum. Hinc D. Aug. in Joan. 14. *Noli contemnere nubem Carnis. Nube tegit non ut obscuretur sol, sed ut temperetur.* Confirmat sensum D. Chryso. Ser. 6. Christus totum pavorem divinitatis, *id est ignem & Lucem, totum metum judicis, in habitum nostrum dedit.* Nisi enim ille, pergit S. Leo Ser. 3. de Nat. ad nos, *hac humilitate descenderet, nemo ad illum, nullis suis meritis perveniret.* Verè VERBUM CARO, columna & Dux Israelis, sed longè mirabilior Dux, & mirabilior columna, priore. Formabat illam Angelus, hanc Virtus Altissimi: Mutabat illa ignem nube, & nubem igne: ut cum luceret non inumbraret, & cum inumbraret non luceret: Simul ab hac, Lux & Umbra spargitur, Lux, Verbum, Umbra CARO. Non potuit in illa consistere ignis cum nube, nec nubes cum igne: Nubes & ignis simul hanc constituunt: & nec ignis perdit Nubem, nec nubes mutat Lucem, nec divinitas tollit
huma-

humanitatem, nec humanitas imminuit divinitatem, *Assumpsit* scilicet *carnem* inquit August. in Dialog. 965. *Non se convertit in Carnem*, quem etiam sensum explicans Flavian. Antioch. *VERBUM* aut *CARO* factum est, non quod in Carnem *mutatum sit*, neq³ quod *Deus esse destitit*, sed quod *DEI Consilio & dispositione carnem assumpsit*. O iterum Miracula? iterum prodigia & plus quam columnæ, Israellem ex Ægypto deducentis, prodigia, *utramq³ enim Substantiam, in unam convenisse Nisi fides credat, sermo non explicat*, concludit D. Leo Ser. 9. de Nat.

Tandem, ejusdem miraculi umbra est, sol ipse per decem lineas descendens 4. Reg. 20. Ægrotatum Ezechias Rex, cum solis retroacti signum, datum: Jacebat deinde æger, totus mundus, magnus & mente D. Aug: ægrotus: ut veniret magnus medicus. Venit, & ad dandum signum salutis, sol per decem Lineas descendit, *VERBUM CARO* factum est. Sol Verbum, Caro, Verbi decies iteratus descensus. Vis eum pernosse? Suspice cælum, & respice stabulum. 1. Ecce qui cælorum Dominus, stabuli hospes est. 2. Quem Seraphim Sanctum proclamant, huic peccatores diversorium negant. 3. Quem Cherubim stupet, hunc animalia bruta stipant. 4. Quem Dominationes adorant, hic à nemine nescitur. 5. Quem Virtutes colunt: hic infirmus jacet. 6. Quem Potestates tremunt, hic frigore premitur. 7. Cui throni succumbere desiderant, hic præsepi tenetur. 8. Qui principatus gubernat hic sinu Virginis gestatur

statur 9. quem Archangeli suspiciunt, hic despectus jacet. 10. Qui Angelos habet ministros, hic humana ope indiget. O admirabilem & terris cæloq; stupendum descensum, 1. de Domino ad subjectionem, 2. de gloria ad humilitatem, 3. de potentia ad infirmitatē, 4. de divitiis ad paupertatem. 5. de robore, ad debilitatem. 6. de opulentia ad egestatem. 7. de impassibilitate, ad tolerantiam. 8. de gaudio, ad lachrymas. 9. de magnitudine ad parvitatem. 10. de felicitate, ad humanæ vitæ misérias. En decemplicē. Solis nostri descensum. Utinam illum expendas homo, utinam D. Ambrosium audias, te Cap. 2. in Luc. alloquentem. *Ille igitur parvulus, scilicet Deus, Homo, VERBUM CARO, ille infantulus fuit, ut tu Vir possis esse perfectus: ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus, ille in praesepibus, ut tu in altaribus, ille in terris, ut tu in celis. Meum ergo paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini mei, mea est virtus. Me illius infantia vagientis, ablunt fletus: mea lacrymæ illa delicta lauerunt. Plus igitur Domine JESU, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum; quam operibus quod creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Vbi tandem homines erimus DEO grati, si hic ingrati sumus? ubi tandem exhibebimus corpora nostra ad Rom. 12. hostiam viventem, Sanctam, Deo placitam, si non ubi, pro nobis VERBUM CARO factum est. O grande divini operis miraculū, VERBUM CARO, & grande*

de humanæ impietatis prodigium, post DEVM factum hominem, homo ingratus, aut impurus.



MODUS DECIMUS QVAR-
TUS.

DUæ sententiæ Scripturæ quæ videntur contrariæ assumuntur & utraq; explicata, quomodo sint intelligendæ, ac concordandæ, docetur subjectis pro Materiæ exigentia salutaribus monitis, illationibus &c. E.g. Dominica 3. à Pentec. tractaturus super illa verba Lucæ 15. *Erant appropinquantes ad Jesum peccatores, opponeres illis, edictum Sap. 14. Odio est Deo impius, & impietas ejus, & illud Psal. 44. Dilexisti Justitiam, & odisti iniquitatem.* Hinc consurget quæstio qui sint peccatores, quibus ad DEVM pateat accessus? Scilicet, alij illorum sunt Recedentes Jer. 17. 13. alij Appropinquantes, de quibus Evangelium. Illi sunt odio, hi recipiuntur. Peccatum Theologis, est recessus seu aversio à Deo, & conversio ad Creaturas, Receditur ab illo, passibus insensibilibus, Cogitationis delectationis, Amoris: Sensibilibus, Verbi DEI, doctrinarum Spiritualium, rerum animæ. Acceditur verò, & appropinquatur passibus insensibilibus, detestationis de agnito errore, doloris de peccatis, proposito emendandi. Passibus sensibilibus, satagendo interesse Christi in suis fidelibus servis conversationi, audiendo verbum DEI, inquirendo de monitis Salutis quod